



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

6. De castratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

78. De eo qui furem in domo receperit.
79. De homine pendato & ejus hereditate.
80. De via lacina.
81. Ut parvulus non respondeat ante quindecim annos.
82. De damno in messe vel in clausura.
83. De maleficio.
84. De Grafione injuste invitato.
85. De corpore exspoliato.
86. De caballo excorticato.
87. De homine forbanito.
88. Ut nemo munera in judicio accipiat.
89. Ut iudices sive Missi fiscales freda non exigant priusquam facinus componatur.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LEX RIPVARIORVM.

I. De ictu ingenuorum.

Si quis ingenuus ingenuum ictu percussit, solido uno culpabilis judicetur. Si bis, duobus solidis. Si ter, tribus solidis culpabilis judicetur.

II. De sanguinis effusione.

Si quis ingenuus ingenuum percussit, ut sanguis exeat, terramque tangat, bis novem solidis culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum sex juret.

III. De ossi fracto.

Si quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, xxxvi. solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.

IV. De puncto.

Si quis ingenuus alterum transpuncerit, aut infra costas plagaverit, xxxvi. solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.

V. De debilitatibus.

I. Si quis ingenuus ingenuo auriculam excussit, ut audire non possit, centum solidis culpabilis judicetur. Si autem auditum non perdidit, quinquaginta solidos componat.

II. Si nasum excussit, ut muceare non possit, centum solidis culpabilis judicetur. Si muceare praevalet, quinquaginta solidos componat.

III. Si quis ingenuus ingenuo oculum excussit, centum solidis culpabilis judicetur. Si visus in oculo restiterit, ita ut videre possit, quinquaginta solidis culpabilis judicetur.

IV. Si manum excussit, centum solidis culpabilis judicetur. Si manus ibidem manca pependerit, quinquaginta solidos componat.

V. Si quis ingenuus ingenuo pollicem excussit, quinquaginta solidis culpabilis judicetur. Quod si pollex ibidem mancus pendiderit, viginti quinque solidis culpabilis judicetur.

VI. Sic in omni mancatione, si membrum mancum pendiderit, medietatem componat quam componere debuerat si ipsum membrum abscissum fuisset.

VII. Si secundus digitus, unde sagittatur, excussus fuerit, triginta sex solidis componatur.

VIII. Si quis ingenuus ingenuo pedem excussit, centum solidos componat. Si pes mancus ibidem pendiderit, quinquaginta solidis culpabilis judicetur.

IX. Si articulum qualemcunque amputaverit, triginta sex solidis culpabilis judicetur.

X. Ista omnia si negaverit, cum sex juret quod hoc non fecisset.

VI. De castratione.

Si quis ingenuus ingenuum castraverit, ducentis solidis culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

VII. De homicidio ingenuorum.

Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

VIII. De homicidiis servorum.

Si quis servum interfecerit, triginta sex solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret quod hoc non fecisset.

IX. De homicidiis hominum Regis.

Si quis hominem regium interfecerit, centum solidis culpabilis judicetur, aut cum duodecim juret.

X. De homicidiis hominum ecclesiasticorum.
I. Si quis hominem ecclesiasticum interfecerit, centum solidis culpabilis judicetur, aut cum duodecim juret.

II. Sic in reliqua compositione unde Ripuarius quindecim solidis culpabilis judicetur, regius & ecclesiasticus homo medietatem componat, vel deinceps quantumcunque culpa ascenderit.